

I X M

SATISE

FIDES

MOISE

1558

ALISTIA



Sammelband

Copy 192.

IOANNIS  
VII ATTENDORIENSIS,  
De familiari cuiusq; genio, seu  
de praesidio Angelico  
libellus:

VITTEBERGAE.  
M. D. XXXVII.

Fg 2830

IO. RIVIVS ATTHENDORIEN.  
sis Nobili Clarissimoq; uiro D. Ioan.  
a V Veissenbach Equ. atq; Illustris.  
Saxonie Ducis Io. Friderici Principis  
Electoris Consiliario/ S. D.

**Q**VEM NVPER SCRIBE  
bam, quorondā precibus adductus,  
de præsidio Angelico libellum, cum editus  
rus essem, vir & nobilitate & cunctis ani  
mi dotibus præstantissime, tu cum primis  
occorrebas, cui hoc quidquid est laboris,  
propter egregiam tuam erga me voluntas  
tem, dedicandum esse ducerem. Quamuis  
autem maiora quædam merebatur amor  
in me tuus, atque isthæc in omni genere  
laudis excellentia, tamen quæ tua est huma  
nitas, boni consules opinor hoc munuscu  
lum meum. Et quia liberos habes generosq;  
sane indolis, ac summæ spei pueros, teque  
patre dignos, hoc gratior tibi est labor me  
us futurus, quo magis conuenit rudibus &  
teneris animis infigere atque inculcare eas  
res, quibus de rebus hoc in libello agitur,  
Valde enim prodest hoc plane sibi per  
sum habere pueros, suum vnique attri  
butum

butum esse a Deo praesidem vite Angelum, per quem pios tueatur Deus. Quae res pueros cum a peccatis atque vicijs arceat, nimirum praesentem assidue Angelum, actorum dictorumque suorum testem reueritos, cuius pudore ab improbitate & a maleficio retardentur, tum ad agnoscendum Dei erga genus humanum beneficium, & illam vere paternam de nobis curam ac sollicitudinem excitat, qui quidem custodem nobis & paedagogum ad tutelam salutis, apposuerit Angelum suum. Utinam vero hanc rem pro dignitate aestimarent omnes, & huius tantae Dei beneficentiae magnitudinem animo metirentur, quicumque Christiani audiunt. Profecto enim, aut ego fallor, aut sanctius vitam agerent. Sed viderit ista Deus. Tu quaeso vir praestantissime, haec ac mihi merito tuo charissime, quod a nobis tibi, atque a deo liberis tuis defertur munus, hilari fronte accipe, nosque tibi (vt facis) commendatos habe. Ex Schnebergo

IOAN. RIVII ATTHEN,  
doriensis. De familiari cuiusq; genio,  
seu de præsidio Angelico libellus.

**I**NTER MAXIMA ATQVE  
innumerabilia Dei Opt. max. erga ge-  
nus humanum beneficia, non est postres-  
mo loco habendum, quod suum cuiq; di-  
uina benignitas proprium peculiaremq;  
ad tutelam sui Angelum, iam inde ab ipso  
ortu dedit. Qua in re profecto, quantam  
gerat nostri curam Deus, & quantam pro  
homine sollicitudinem, perspicere facillime po-  
test, qui quidem nobis singulari plane ac  
vere paterno adductus amore, nec secus ac  
parens liberis suis metuens, Angelum de-  
derit pædagogum, qui nusquam a latere  
nostro discederet, nusquam abesset, sed  
assidue sectaretur, duceret, reduceret, Cui-  
usque comitatu perpetuo septi, & custos  
dia præsidioq; communiti pijs, securum pro-  
pemodum inter tot ubiq; pericula, tot  
diaboli insidias, agere æuum possent.

Quia vero in dubium plæricq; in con-  
trouersiamq;, nostram hanc de Angelo  
sententiam vocant, faciundum mihi puto,  
vti ad illustrandam Dei erga nos beneuo-  
lentiam

lentiam, atq; ad agnoscendum hoc tam pre-  
clarum eximiumq; beneficium, hac ipsa de  
re non nihil agam, & quod ambiguum qui-  
dam habent, certis doctrine sacre testimo-  
nijs clarum atq; indubitatum reddam. Iam  
primum igitur hoc propemodum constat,  
Deum quidquid agit, sic fere agere solitū,  
vt quibusdam quasi medijs, atque instru-  
mentis voluntatis sue, ad explicandas actio-  
nes, & perfectionem operis instituti utar-  
tur. Quanquam enim per se ipse omnia po-  
test Deus, nec propter prestantissimam vir-  
tutem atq; infinitam potentiam, vilo pro-  
sus ad agendum instrumento indiget, tas-  
men ita sanctissime eius voluntati visum  
est, cuius sunt rationes consiliaq; occulta  
nobis, vti ad ministerium suum, atq; ad  
efficienda ea, que ipse vult, rebus ab se con-  
ditis vteretur. Neq; tamen proprijs quic-  
quam viribus, aut suapte potentia, Dei vo-  
luntati subseruit. Sed ea demum vi, each; ad  
agendum facultate, quam tribuit illi Deus.

Atq; hæc quidem, quo magis intelligi  
possint, exemplis propositis facere planio-  
ra conemur. An non igitur (vt hinc pos-  
tissimum ordiar) ad cognitionem cultūq;  
sui Deus nos adducit, fidemq; nostram ad

A iij credens

credendum prouocat, misso ad annuncian-  
dum Euangelium concionatore? cuius ore  
præconioq; nonne ceu instrumento quo-  
dam vti ad salutem hominum videtur?  
Prorsus isthuc quidem. Fides enim ex audi-  
tu, inquit ad Romanos Paulus. Nec vero  
alia est ad cognoscendam Dei voluntatē, et  
assequendam fidem via, nisi per auditū ver-  
bi Dei. Pergamus porro, Quis hominem  
adoleſcentē, discendi studio flagrantem, bo-  
nis artibus & doctrina liberali imbuit? quis  
aut pietatem illum, aut ciuilitatem mos-  
rum docet? Facit id quidem præceptor, cuius  
us est in disciplinam traditus, fateor, Sed  
quatenus eo Deus ad instituendos alios ad-  
ministro vtitur. Itaq; vt doctus euasit ados-  
lescens, primum Deo ipsi, cuius sine ope ir-  
ritus atq; inanis est conatus omnis, & vnde  
ea habet, quibus præter studium eruditio  
constat, ingenium, iudicium, memoriā,  
dein secundum Deum præceptorī, qui in se  
docendo laborem subiit, gratias agit. Quis  
vero hominem graui & difficili morbo im-  
plicatum, ac dubia spe vitæ spiritum misere-  
ducentem sanat? Nimirum per medicum  
Deus. Cui nam igitur idem morbo leuatus,  
recuperatam valetudinem fert acceptam?  
Cui tandem censes? nisi Deo, proxime autē  
& secun



& secundum Deum medico, cuius est arte,  
fide, curaque Deus in eo seruando vsus.  
Non quo aut ipse, quod per medicū facit,  
per sese facere nequeat, aut medicus vllam  
ex se ipse habeat, ad restituendam hominī  
sanitatem, vim & facultatem, Sed quod sic  
Deo visum sit, vti res ab se conditę, sese ipsi  
præbeant, ad efficiendumque aliquid ad  
ministrę eius, & quasi secundarię sint.

Quid? regna, prouincias, vrbes, quem  
gubernare & administrare censes? quem?  
nisi per magistratus, principes, regesq; le-  
gitimos, hoc est, per constitutas a se potesta-  
tes Deum? Qua de causa quoque impij  
profecto ac hostes Dei iudicandi sunt, qui-  
cunque superiorum imperia grauantur &  
detrectant, nec honorem eis debitum exhi-  
bent. Facit huc illud ad Romanos, Omnis  
anima potestatib<sup>9</sup> excellentib<sup>9</sup> subdita esto,  
non em̄ est potestas, nisi a Deo. Itaq; quis-  
quis resistit potestati, Dei ordinationi rea-  
sistit. Idem potestatem, Dei ministrum  
vocat. Sed & alicubi, deprecationes,  
interpellationes, gratiarum actiones pro  
Regibus & in eminentia constitutis, fieri  
iuber, Et Caput Apostolorum Petrus,  
subditos

subditus esse vult cuius humane creature  
propter Dominum, siue Regi tanq̄ præ-  
cellenti, siue Præsilibus, vt qui per eum  
mittantur, ad vindictam quidem nocentiũ,  
laudem vero recte agentium, vt ipse inquit

Sed ne longum faciam, hoc plane sibi  
quisq; persuasum habeat, naturalibus De-  
um rerum conditarum viribus, quas ipse  
illis indidit (nec enim vllam prorsus ex se  
ipse vim ad agendũ habent) arbitrato suo,  
ad cuiusuis perfectionem operis vti. Sic  
ex semine herbam, ex animalium coitu fo-  
tum producit Deus, idemq; quidquid vi-  
uit, siue animal, seu terra editum, per inclu-  
sum insitumq; in eo calorem sustinet &  
conseruat. Sic per Solis annuos cursus,  
quatuor temporum mutationes efficientis,  
cuncta Deus, quę oriuntur e terra, vti flo-  
reant, & in suo quęq; genere pubescant,  
maturitatēq; assequantur, facit. Per aerem  
idem, in nubes coactum & humores collis-  
gentem, auget terram imbribus, per huc  
atq; illuc effluentem, ventos efficit. Sic per  
pyriten, excipiendas sulphuratis ad ignem  
faciendum scintillas edit, per hæmatiten,  
sanguinem sistit, per smaragdum, oculorũ  
recreat aciem, irrita per adamantem venes-  
na facit

na facit. Et quis alia hoc genus recensere  
cuncta queat? Sic solari globo diem, lunari  
noctem illuminat, illi suum propriumque  
lumen, huic mutuatum ab Sole præbens.  
Sic per diei noctisque vicissitudinem, saluti  
atque incolumitati consulit animantium,  
aliud tribuens agendi tempus, aliud quies-  
cendi, ut ille inquit. Quis vero a nobis  
egestatem arceat? quis a corpore frigus de-  
pellit? quis aut famem explet, aut sitim  
restinguit? Nimirum hæc omnia Deus,  
Quo tandem pacto? labore, vestitu, cibo,  
potu.

Hæc ergo media, & quasi instrumenta  
quædam operationis diuinæ, quæ non imbe-  
cillitatem Dei (ut in homine) quasi quod  
per sese ipse non posset, assequeretur per  
aliud, sed omnipotentiam numinis diuini  
probant & arguunt, hæc inquam qui aut  
parui ducit, aut repudiat & submouet, is  
Deum prudens sciensque tentat, quod vetatur  
celebri illo ex. VI. Deuteronomij dicto.  
Non tentabitis Dominum Deum vestrum.  
Quo dicto & Diabolum ipsum ab se Chris-  
tus repulit, ut se præcipitem de fastigio  
templi daret, hortantem, affuturos enim,  
qui ruentem exciperent, Angelos. Non  
Av tentabis

2  
tentabis (inquit) Dominum Deum tuum.  
Ac recte nimirum Christus, exemplum nobis ad imitandum proponens. Nec enim se temere quisquam conncere in apertum periculum debet, vltroq; in vitæ discrimen inferre. Itaq; quum gradibus inde descendere Christus posset, quid erat causæ, cur saltu se se demittere præcipitem vellet? Vt autem est, premente necessitate, bene sane sperandum, auxilio diuinis fretis, sic periculum, quantum potest, propulsandum, non illo ipso Deus accersito tentandus. Velut (exempli causa) quanquam ex oraculo Dei Rebecca cœlestiq; monitu cognosset, Iacob futurum germani fratris Dominum, minoriq; subiectum iri maiorem, tamen Esau minis territa, cui fratrem occidere in animo erat, Iacob in Mesopotamiam procul amandat. Quid ergo? num aut vacillat Rebecca fides? aut excidit oraculum cœleste? Imo & huius ipsa probe meminit, & fides immota manet. Cur igitur metuit? cur filium amandat? Ne videlicet sciens prudensq; Deum tentet, Si quum possit quidem, tamen freta Dei promissis, eiusdemque ad opprimendos impij hominis conatus opem expectans, consulere ipsa filio, in declinando periculo imminenti nolit. Et quia hac via  
Deus

Deus seruare Iacob voluit, propterea ad  
prospiciendum filij saluti, & ad tuendam  
eius vitam, sollicitudinem matris acuit. Sic  
Dauid, quanquam Regem se fore sciret,  
nimirum a Samuele iam inunctus, tamen  
cum interficere eum in animo Saul habes-  
ret, non tentat Deum, sollicitudinē de se ipse  
superuacaneam iudicando, qui electus ab  
Deo esset. Sed omnem ipse cautionem, di-  
ligentiamque adhibet, vt effugiat Regis  
superbi manus. Ac volebat quidem Da-  
uidem seruari Deus, Sed ita demum, suam  
vt operam Dauid cum voluntate iunge-  
ret diuina.

Nec fere aliter cum in alijs innumera-  
bilibus, tum in his ipsis, quæ supra posui-  
mus, exemplis sese res habet. Nam vt a  
primo incipiens, progrediar ad extremum.  
Quo modo possit ad Dei quisquam cog-  
nitionem peruenire, qui præconium Euan-  
gelij, quod est auribus percipiendum, ex-  
audire nolens, fore speret, vti coelitus oc-  
culto aliquo spiritus sancti afflatu, ceu  
miraculo quodam, ea percipiat, quæ alijs  
ex auditu ipso verbi Dei. Quales extitere  
nostra memoria Catabaptistæ & alijs prætes-  
tea quidam malesani fanaticique homi-  
nes,

nes, contra manifestam ipsam & plane dis-  
serteque traditam doctrinam Pauli. Quæ  
(malum) ista est rationis atq; consilij absur-  
ditas, quæ tam temeraria ad tentandum De-  
um animi inductio: uerbi auditione con-  
tempta ac repudiata, aliam quandam & pes-  
ne singularem exquirere, ad cognoscendam  
Euangelij veritatem, & percipiendam fie-  
dem, viam. Mihi profecto hoc perinde esse  
videtur, ac si quis diurni syderis lumine  
excluso, nec ad vitæ vsus admissio, pecu-  
liare aliud quærat lumen.

At enim scriptura inquit, Erunt omnes  
docti a Deo: Et, Beatus, quem tu erudieris  
Domine: nam hoc contra ab nonnullis  
affertur. Facilis vero & expedita res-  
ponsio. Deus enim nos docet, Deus eru-  
dit, Quid nisi? Sed per medium, nempe per  
auditum ipsum uerbi, & lectionem scrip-  
turæ sacræ, mentem interim docilem nos-  
bis reddente arcano Patris cœlestis afflatu.  
Quid ergo: num hinc sequitur, repudian-  
dam esse voluminum sacrorum euolutio-  
nem, aut externum sermonum diuinorum  
auditum? Cœcum vero te atq; amentem,  
quisquis hoc ita putas. Ne igitur, ne expe-  
ctes, dum tertium in cœlum rapiare cum  
Paulo

Paulo, ad audienda ibi arcana, quæ mortali sit eloqui nefas. Cogites Paulum ipsum ad hominem esse, quo Sacramenta perciperet, & Ecclesiæ copularetur, missum, Et Centurionem Cornelium principi Apostolorum Petro traditum imbuendum.

Sic si quis nullo prorsus adhibito doctore, diuinitus sibi inspiratum atq; infusum iri artium optimarum cognitionem atq; scientiam speret, non ille tandem insanire ac mente alienata esse putetur? Nec profecto minus desperet, qui valetudine aduersa laborans, neq; medicum adducendum, si cuius modo habere copiam possit, neq; ullam ad depellendum morbum adhibendam medicinam curaret. Quid? non hoc quoq; esset, tentare Deum? Deus (inquiunt) si volet, hoc me leuare morbo potest. Potest hoc ille quidem, sicut omnia potest, Sed cur censes datum esse mortalibus egregium illud nec aspernandum Dei munus, artem facultatemq; medendi? quæ ministerium quoddam in homine sanando exhibet Deo. Cur sacre literæ honorem medico debitum habere iubent? an non creatum ab Deo medicum, eiusq; cæteros indigere opera testantur? Quid illud enim sibi vult? Dominus pro-

nus produxit e terra medicamenta, & vir  
prudens non repudiabit ea: Non hoc pa-  
lam docet, herbis salutaribus, quibus effi-  
caces ad medendum vires potestatesq; De-  
us indidit, & quarum sunt longinqui tem-  
poris vsu atque periclitatione perceptæ  
vtilitates, esse cum ad tuendam valetudi-  
nem, tum remedia hominum morbis affe-  
renda, vtendum: nec prudentis esse, phar-  
macis repudiatis, & quasi spreto hoc diuis-  
næ munificentie dono, aliam quam ad de-  
pellendum morbum opem ab Deo expe-  
ctare:

Iam si quis ordinatas a Deo potestates  
aspernetur, ac sine hisce confidat Respo-  
consistere posse, ipso nimirum gubernante  
& administrante Deo, num aut mentis  
compos esse, aut non sciens prudensq; De-  
um tentare videatur? Sic qui esurit, qui sit-  
it, ante pereat necesse est, quam coelitus ei  
potum cibum ue, qui adsit, respuenti sube-  
ueniatur. Neque enim illi contigerit Deum  
tentanti, quod aut Heliæ, Dei verbis credens  
ti, qui est coruis ministrantibus pastus,  
aut incluso in lacu Danieli, cui prandium  
est diuinitus apparatus. Nec expectet, dum  
(vt Israheli quondam) aut manna coelitus  
esurienti



esurienti defluat, aut sitiēti scateat de silice,  
perculso latex. Sic quisquis liberos suscipere  
perc, & dulcē illam patrij nominis adipisci  
appellationem cupit, ab vxoris congressu  
refugere non oportet, nec a coniugali & le-  
gitimo abhorere thoro. Etsi enim Deus, vt  
illos generis nostri parentes, Adamum &  
Euam, sic cæteros absque cōmitione ma-  
ris ac foemine producere homines possit,  
hanc tamen ratam fixa, acq; semel naturæ le-  
gem esse voluit, vt per vim illam mirabilē  
feminum, corpori inditam humano, homi-  
num posteritas propagaretur. Neq; ideo ta-  
men quidquam commistio sexus ad gene-  
randam prolem facit, nisi omnium creator  
conditorq; rerum Deus foetū in vtero for-  
met, id quod steriles, quibus nullā ipse pro-  
creandę sobolis facultatem dedit, quantū  
uis liberis operam dent, exemplo suo indi-  
cant. Sic de armenti foetura qui laboras,  
Iuxta Virgilium. (mus,  
Solve mares, mitte in venerē pecuaria pri-  
Atq; aliā ex alia generando suffice prolem.

Huc illud facit ex Mosis de mundi crea-  
tione libro, Crescite, ac multiplicamini.  
Quod non ad hominem solū, sed ad ea quo-  
que est, quæ sunt rationis expertia, dictum.  
Nec

Nec alia demum voluit animalium propa-  
ginem Deus, quam hac via conseruari. Itaque  
cum totum diluuiionibus aquarū abo-  
lere terrarum orbem, & animantia in eo  
perdere cuncta vellet, vtriusq; tamen sexu  
us bina quæq; de cunctis includi in arca  
iussit, quæ ad sobolem instaurandam postea  
superessent. Sed ad rem.

Qui paupertate atque inopia leuari,  
aut ad summas emergere opes cupiat, frus-  
tra nimirum temereq; auxilium diuinitus  
expectet, nisi strenue laborando, vigilans  
do, prouidendo pecuniam facere, remque  
familiarem suam exaggerare studeat, ac  
conetur. Nam vt ille inquit, longe omnium  
omnis memoriæ regum sapientissimus.  
Manus sedulorum parant opes, manus au-  
tem remissa esuriet. Et iterum, Qui agrum  
suum colit, satiabitur pane, ac qui sectatur  
ocium, egebit. Rursus, Labor abundan-  
tiam affert. Et, Ociosus fame peribit. Quid  
ergo, dicet aliquis, labori ne meo tandem,  
non diuini numinis benignitati atq; mun-  
ificentie partas industria mea opes, accep-  
tas feram? Minime vero, quandoquidem  
sola benedictio Domini (sicuti idem ait)  
diuites facit, Hoc est, quorum auget & am-  
plificat

plificat opes Deus, industriam ipsorum favore suo promouens, conatumque iuuans, his demum bona contingunt, neque id quidem tamen (vt ostendi) nisi per manum sedulam, ne quis laborem in re quaerenda quasi inanem adeo superuacaneumque aspernetur. Nam hoc plane medio Deus opes ac diuitias, rerumque necessariorum omnium abundantiam copiamque suggerit. Vnde illud e Genesi tritum hodie vulgo, In sudore vultus tui vesceris pane tuo.

Huc pertinet, quod eodem libro Moses, Seminavit (inquit) Isaac in terra illa, & inuenit eo ipso anno centuplum. Benedixitque ei Deus, & locupletatus est homo. Ostendit videlicet, benedictione Domini ditatum esse Isaac, sed quam ille tamen laborando, opesque rusticum faciendo, non segniciae socordiaeque indulgendo, expectandam sibi putarit, suo ipse exemplo docens, strenue demum operantibus benedicere Deum, non ignauis atque pigris, & ocio veterisque torpentibus. Neque tamen continuo, quod per hoc medium, non & per se ipse potest Deus. Quid enim non possit, qui hanc compagem e coelo terraque coagmentata, quem Mundum dicimus, e nihilo condidit.

B qui

qui res in ea cunctas, spiritus illos Angelicos, hominem, animantes, cum integras & perfectas, tum inchoatas & sensu aliquo carentes, Stirpes & frugiferas & steriles, gemmas, metalla, lapides, glaream, procreauit: qui denique materiem primam illam, quam vocant, rudem indigestamque molem, semel cunctam produxit, naturęque opificio seu artificis cuiusdam a se conditi atque edocti suppeditauit, vt ea ea vires ipsa atque facultates, quas ab Deo accepisset, exerceret.

Quid igitur per se inquam non possit, cuius tanta sit ad quiduis sine conatu efficiendum potentia, & immensa prorsus infinitaque ex se ipso vis atque facultas? Sed sic placitum voluntati eius fuit, vt (sicuti dictum a nobis est) causis quibusdam intermedijs, ac sibi subseruientibus, ad explicandas actiones vteretur. Quibus tamē ipsis haud sane magis ad agendum indiget, quam aut luto ad aperiendos oculos cæci, aut ad expediendam linguam muti, saliuam. Quid enim hæc tandem easce ad res conferebāt? Sed ostendere ita voluit, quamuis in procliui esset, simplici vtrunque sanare verbo, sese causis ad hunc ipsum modum vti secundarijs, ex uoluntate sua, non ex necessitate. Sic nimirum solo nutu poterat abolere diluuium

diluuio terrarum orbem, quis neget? res  
bus tamen creatis vti ad hoc maluit. Itaque  
cum venas terræ patefecit, omnesq; & fons  
tes & abyssos, tum immensam ruptis nubis  
bus cœlo vim aquarum deiecit, crebrisque  
demum sine intermissione imbribus, genus  
mortale perdidit. Itidem solo nutu postea  
reuocare aquas. tamen ventum ad hoc illi,  
et quæcunq; fugant inductas flamina nus  
bes, est excitare visum.

Vnum adhuc addam, Erat a Deo pro  
missa Israheli terra Chananæorū, nec quin  
esset Deus promissum facturum, dubitaba  
tur. Quid ergo? non armis subigendi, armis  
pellendi hostes erant? Prorsus. Quid ita ve  
ro, cum nullo negotio Deus, nullis adhibi  
tis viribus humanis, potuisset vacuam eis  
relinquere promissæ terræ possessionem? Ne  
videlicet, si nullo consilio, nullo labore, nul  
lo denique periculo suo Israhelitæ, hostes  
deuictum, vrbes expugnatū iri crederent,  
Deus ipse, qui gerendum cum hostibus bel  
lum mandasset, tentaretur. Cui igitur victo  
ria est accepta ferenda? nimirum vni Deo,  
cuius ea solius est auxilio cœlesti parta. Nō  
em̄ per gladiū suū sortiti sunt terrā, & bras  
chiū ipsorū nō seruauit eos. Sed dextera tua  
et brachiū tuū de<sup>9</sup>. vt sacer ille cecinit vates.

B ij Itaque

Iraque hominem pium, ubi exploratam de  
re aliqua Dei habuerit voluntatem, non  
iam ipsum cessare, sed sua ratione, suo iudi-  
cio, ingenio consilioque suo, iisque quas a  
Deo habet, viribus & facultatibus, diuino  
subseruire numini oportet. Hoc ipsum  
enim vult Deus. Sic videlicet agricola, qui  
uis persuasum sibi habeat, victum suppeditare  
cunctis patrem coelestem, qui dat escam  
omni carni, iuxta Prophetam. nihilo tamen  
ipse seignius opus facit, exercetque frequens  
tellurem, atque imperat aruis. Ne multa,  
agrum diligenter cultum subactumque con-  
serit, nisi faciat, famem sine dubio sensurus.  
Nam & hoc simul persuasum habet, non fa-  
cturum messem, qui non sementem fecerit.  
Neque interim suus illi quicquam prodesset  
labor, nec fructum ipse e terra perciperet  
vllum, nisi modo serenitatem Deus, modo  
imbres tempestiuos det, atque solus ad pro-  
creandas fruges terre naturam foecundet.  
Etenim huc probe quadrat, quod ait Pau-  
lus, neque qui plantat, est aliquid, neque qui  
rigat, sed qui incrementum dat Deus. Hic  
est enim qui operit caelum nubibus, & pas-  
rat terrae pluuiam, Qui producit in montibus  
foenum, et herbam seruituti hominum,  
Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis  
coruo

coruorum inuocantibus eum. Hic est de  
quo idem ille vates, Omnia expectant, vt  
des cibum eis in tempore suo. Dante te illis  
colligent, aperiēte te manum tuam reple-  
buntur bono.

Quod si quid ex statis illis ac definitis le-  
gibus, ratioque & constanti naturę ordine  
est aliquando forte mutatum, id cum raro  
certe, tum miraculo quodam est a Deo fa-  
ctū, vel ad ostendendam omnipotētiae suę  
vim, vel declarandum suę voluntatis nu-  
tum. Id adeo ex sequentibus intelliges.  
Mulierem post annum quinquagesimum  
non fere gignere, in confesso est. Quod er-  
go Abrahę coniunx, & anus & sterilis fi-  
lium genuit, id temporis, cum nec parere  
ipsa per annos, quippe nonagenaria, nec fœ-  
cunda iam esse vllō modo posset, quod ge-  
nitale profluuium, quę generando hominī  
materia est, stetit, miraculum fuit. Ser-  
pentes & vnde & quo modo nascantur, pa-  
lam est. Verum cū virga Moſis est in ang-  
uem mutata, miraculum fuit. Fontes e terre  
venis, & ex subterraneis meatibus scaturire,  
quis nescit? Sed cum a Mose percussa Dei  
iussu rupes, laticem fundere cœpit, mira-  
culum fuit. Sic per mare rubrū quod Isra-

B iij helitę

Helicæ sicco pede transierint, quum hinc atque hinc eos, curuata in montis faciem circumstetit vnda, miraculum fuit. Quod asina Balaami est humano more locuta, cum sermonem natura brutis negarit, miraculū fuit. Sic quod Aaronis virga floruit, quod cursum sistere iussus, Iesu Naue hoc a Deo impetrante, sol repente constitit, quod idem retro cursum ad confirmandam & Ezechiae fidem, & promissionem Dei, flexit & inhibuit, miraculum fuit. Quod Arca Dei circumlata muri Hiericuntis ceciderint, nulla oppugnati manu, nullo ariete percussi, miraculū fuit. Pluuiam de multo vapore gigni, vi solis in sublimē elato, paulatimque coacto, mox soluto, restantur perscrutatores rerum naturæ Philosophi, Cæterum quod ad preces Helicæ, post triennem ac semestrem siccitatem, nullis vspiciam existentibus futuræ pluuiæ signis, immensus repente cœlo imber decidit, miraculum fuit. Ignē natura sua insitaq; ab Deo ui urere constat. Sed quod tres illos in fornace Babylonica pueros refocillauit, exustis Chaldæis, miraculum fuit. Et vt finiam, vitem ferre vinum, nouimus omnes. Sed quod a Christo est aqua in vinum mutata, miraculum fuit. Potest igitur Deus (qui est primaria summaque



maque causa omnium quæcunque per sibi  
subseruientes creaturas fiunt) potest si velit,  
cum naturales illos causarum secundaria-  
rum effectus in diuersum vertere, vtcunq;  
fuerit numini eius visum. tum vero pro-  
sus, si lubeat, tollere, & quos ipse cunq; vo-  
let, effectus edere solus.

Quorsum uero hæc tam multa, de medio  
illo & instrumento voluntatis diuinæ: quor-  
sum: vt ostendam, sicuti alijs in rebus, ita in  
homine tuendo, custodiendo, conseruando,  
omnibus malis, omnibusque periculis libe-  
rando & defendendo, rerum ab se condita-  
rum ministerio Deum vti, & cum aliarum  
quidem pane innumerabilium, tum vero  
cum primis spirituum illorum, qui de offic-  
ij nomine, Angeli nuncupantur. quibus  
numen diuinum plurimas ad res adminis-  
tris vtitur. Etenim (vt alia mittam) quoties  
hi quæso sunt ad homines pios missi, id  
quod monumentis est sacris proditum, vt  
aut opem laborantibus suppetiasque fere-  
rent, aut lætum quid nunciarent, aut conso-  
lationem denique afferrent. Vt enim in  
subuersione Sodomorum, Loth ab Ange-  
lis ereptum, vt Abrahamum Angeli ab oc-  
cidendo filio voce reuocatum ac prohibitum,

B iij . vt dicitur

vt denique Mosen per apparentem in flam-  
ma Angelum de Israhelis liberatione cer-  
torem factum omittam, quis profectis ex  
Aegypto dux & praetator Israhelitis fuit?  
Angelus. Quis Balaam ad maledicendum  
iisdem iter ingressum terret? Angelus. Quis  
aut Gedeoni liberandum ab ipso seruiens-  
tem Madianitis Israhelem, aut vxori Man-  
ue, cum foret sterilis, nascendum ex ea Sam-  
sonem praedicit? Angelus. Quid? non tu-  
tus fuit ab hostibus Angelorum praesidio  
Helisaeus? Non Ezechias caesis ab Angelo  
multis Assyriorum millibus liberatus? Non  
Tobiam Angelus, Tobiae filium, saluum at-  
que incolumem ducit & reducit? idemque  
ab Raguelis filia vim Daemonij arcet? et  
ipsum denique senem caecitate Tobiam li-  
berat? Non tres illos in Camino ignis pue-  
ros seruauit? Non Daniele parato mello-  
ribus a Propheta cibo pauit? Non profes-  
tam ad Olophernem Iudith, incolumi pu-  
dicitia reduxit? Ne multa, Zachariae Ange-  
lus laetum de suscipienda prole nuncium  
affert. Futuram salua virginitate matrem  
Dei Mariam salutac, Natum mundi Serua-  
torem, pernoctantibus ad gregem pasto-  
ribus nunciat. Coniugem Mariae Ioseph idem-  
idem, quid facto opus, monet. Sed & tenta-  
to ab

rato ab immundo spiritu Christo, Angeli ministrant. Eundem sub tempus mortis Angelus, positus genibus orantem, ac factum exitiumque instans, si qua sinat pater, deprecantem, corroborat. Mulierculis sese idem, Christi a mortuis exurrectionē nunciaturus ostendit. Omitto, quod Apostolos Angelus in custodia publica positos, e carcere educit, quod Philippum, quo ire oporteat, docet. quod Cornelium virum Dei metuentem, ad Apostolorum principem accersendum mittere iubet. quod Petrum in vincula ab Herode coniectum eripit. quod Paulo in tempestate depræhensum, incolumem ipsum euasurum, vnacq; secum qui eadē vehebantur nauis, nunciat. Nam quis cuncta eiusmodi summis in rebus, Angelorum ministeria percensere queat? Plena sunt exemplorum talium, sacra hebraicæ Christianæq; historiæ monumenta, vt recte videlicet ad Hebræos ille de Angelis, omnes administratorios spiritus esse testetur, in ministerium missos, propter eos, qui hæreditatem capient salutis.

Quoniam vero pacto probari potest, suum cuique peculiaremq; a Deo Angelū, ceu pædagogum quendam, esse additum. Satis est quidem ad hoc comprobandum

B v (vt Patres

(vt Patres Ecclesiasticos, quibus aliquam  
vetustas addit auctoritatem, omittam) vel  
vnus ex scriptura sacra locus. Is sit sane ille  
apud Matthæum XVIII. vbi Christus. Vi  
dete (inquit) ne contemnatis vnum ex hisce  
pusillis. Dico enim vobis, quod Angeli eor  
rum in cœlis semper vident faciem patris  
mei, qui in cœlis est. Eorum inquit Angeli.  
nimirum qui vt ministri curam habent il  
lorum, quosque eis custodes pater ille cœles  
tis, & pædagogos addidit. Quid oro te cla  
rius? quid apertius? Etiã ne firmius aliquod  
ad huiusce rei fidem, argumentum quæris?  
Ego quidem in ea semper fui opinione, vt  
expendenda magis diligentî examine, eorū  
quæ de literis sacris afferentur, pondera atq;  
momenta testimoniorum, quam spectan  
dum in his numerum arbitrarer. In eadem  
etiam nunc sententia persto, nec deduci inde  
me vnquam pariar. Perpendamus igitur  
accuratius, si videtur, hunc ipsum locum,  
hoc ipsumque testimonium, quod est a no  
bis modo productum. Videte (inquit) ne  
contemnatis vnum ex hisce pusillis. Loquit  
tur nimirum (id quod ea quæ præcessere  
paulo ante verba, perspicue indicant) de  
puerulis. cuiusmodi ille erat, quem accersis  
tum ad se idem, in medio discipulorum stas  
sunt, simis

tuit, simplicem & innocentem, & a cunctis  
denique prauarum cupiditatum affectio-  
nibus alienum atque remotum, Cuius ad  
imitationem suos hortatur, ab offensione  
deterret. Ex eiusmodi igitur pusillis ali-  
quem, quamuis humilem & abiectum, des-  
picere vetat. Quid ita veros? Causam sub-  
dit. Quia tantam horum pusillorum Deus  
rationem ducit, tanti hosce facit, vti pater-  
nam quandam salutis incolumitatisque eo-  
rum susceperit curam. Quonam tandem  
modo? videlicet dignos iudicando, quos  
Angelico ipse praesidio communitos, ab  
omni malo tutos redderet.

Dico enim vobis (inquit) quod Angeli  
eorum in coelis semper vident faciem pa-  
tris mei, qui in coelis est. Sed cur eorum  
Angeli? dicit aliquis. num non potius Dei?  
Quid ni vero Dei? Sed hoc demum innuit,  
peculiares ad ipsorum regendam tuendam  
que salutem Angelos, fideles semper ac  
perpetuos pueris esse comites additos.  
Qua in re admirabile Deus suae bonitatis,  
& animi atque amoris erga pusillos istos  
vere patris signum ostendit. qui eam plane  
de ipsis gerat curam, quam pro liberis op-  
timus pater. Ergo quos tanti facit Deus,  
nemo contemnendos esse ducat.

Quod.

Quod vero propterea quidā, Angeli eorum, dictum censent, quod ad societatem beatorum spirituum pertineant pusilli isti, de quibus hic Christus, quodque hos ipsos Angeli iam coeperint suos in Dei ciuitate municipes habere, id mea quidem sententia coactius alieniusque hoc loco esse iudicandum est. Absit inuidia dicto. Veritatis magis, quam autorum quamuis nobilium habenda semper ratio est; nec veritati vir antefendus, ut ille apud Platonem inquit, Sed & Iuencus ille Presbyter, qui versibus est Euangelicā historiam complexus, haud secus, ac nos fere, hunc intelligit locum, suffragante sibi vetustissimo quoque de scriptoribus sacris, Ita enim canit.

Nec quisquam fastu paruos contempserit istos  
Horum custodes coelesti in sede tuentur  
Altithroni vultum genitoris sydera supra.

Videlicet ostendit, Angelos esse pusillis istis quasi magistros additos. Propterea inquit, Horum custodes. Vixit autem Iuencus ipse An. CCCXXXII. ne quis huiusce autoritatem, quasi recentioris, parui esse momenti ducat. Vides ne igitur, etiam si praeterea nihil afferamus, vnum hunc locum, quod quidem ad praesens negocium attinet,

attinet, fere instar esse omnium.

Sed age, ne quis vlli relinq̄tur in hac re dubitandi locus, neu qua remaneat in mēte cuiusq̄ hēsiratio, adducamus e Psalmo XC quosdā ad hoc comprobandū versus. Quo in Psalmo Propheta mirifice spem fiduciā amq̄ in Deum excitat, erigit, sustentat, confirmat, alit & auget, vt quæ tueatur atque inuictos reddat aduersus omnia mala, cunctasque Diaboli insidias atque insultus. Docet igitur, spem salutis omnem esse in Deo figendam, subsidiumque ab illo vno petendum. Sic autem inter alia ibi de quouis pio. Angelis eius mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vñs tuis. In manibus tollent te, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum. O semper illum quidem admirabilem & egregium, sed hic demum vere paternum ac singularem Dei erga nos amorem, qui tantam pro nobis gerat curam, vsque eo semper sollicitus de nobis sit, vsque eo nostræ procurandæ salutis studiosus, vt inter tot vndique imminetia pericula, tam varios casus, tantas Diaboli hostis nostri insidias, tutos nos Angelorum præsidio esse voluerit. Nam quis tandem tot pericula declinare, tot mala impendentia effugere, tot cauere insidias queat, nisi talibus vn

bus vndique præsidij communitus, n̄s op̄  
bus, n̄sq; benignissimi patris custodij sepe  
tus. Gratias igitur indulgentissimo, & tam  
tenere nos amanti Deo patriq; cœlesti agam  
mus semper, pro hac tanta nostri cura, pro  
immensa hac atque infinita erga genus hu  
manum beneuolentia, & plus demum quā  
paterna caritate. O nos terque quaterque  
foelices, siquidem hoc tale tantumque Dei  
in nos beneficium, cuius memoriam nulla  
vnquam delere atque extinguere deberet  
obliuio, agnouerimus. miseros, si neglexeri  
mus. Atqui, dicit aliquis, Diabolus hocce  
ex Psalmo supra dicto versus ad Christum  
refert, quos ad quemlibet pium ipse. Nempe  
ergo Diabolus? Dignum vero illum (si  
dij placet) cui fidem habeamus, cum men  
daci ipsi, tum mendacij patri, vt eum scrip  
tura vocat. Quis adeo ignorat sacrarum  
rerum peritus, quam peruerse Diabolus  
torqueat huius loci sensum, quodque est de  
quouis sancto dictū, q̄ vafre ad solū Chri  
stū detorqueat. maliciose interim quod cō  
modū erat decerpens, qd̄ offendebat tacens  
Sed afferamus præterea & aliū e Psalmo.  
xxxiiij locū, qui etiam nū dubitanti hac de re  
alicui dubitationē omnē tollere, quasiq; scru  
pulū, si qui restat forte, eximere queat. Quo  
in Psal



Psalmo grates agit bonitati diuine David,  
& Davidis exemplo cuncti fideles, quod ex  
omnibus sint angustijs & afflictionibus li-  
berati suis. Docet autem Propheta, sum-  
mam gerere Deum piorum timentiumque  
sele curam, nec in rebus dubijs implorantiũ  
opem suam, & ad misericordiam confugien-  
tium preces aspernari. præterea per Ange-  
lum pijs semper adesse Deum, excubijsque  
eos custodire suis, & præsidio communire.  
Sic ergo ibi. Castra metabitur Angelus Do-  
mini, in circuitu timentium eum, & eripiet  
eos. Quid vis amplius? num exploratius  
quid, & ad probandum grauius, firmitus ue-  
quæris? Hoc enim videlicet innuit, excuba-  
re pro pijs Angelos, eosque præsidijs suis  
vallare. id est, per Angelos Deum tueri su-  
os, per hos ipsos subsidium laborantibus  
suppetiasq; ferre, per hos denique aduersa-  
rijs deuictis, pios atq; fideles discedere e con-  
flictu superiores. Est em̄ perpetuũ nobis di-  
fficileq; cū Dæmone, mūdo, ac propria cars-  
ne certamen. Sed victoria sanctis, Dei mu-  
nere atq; virtute, Angelicoq; præsidio, faci-  
lis et prope explorata. O magnā atq; ingen-  
tem piarum mentiũ, cum tot semper hostis-  
bus confligentiũ, consolationem Prophete.  
Castra metabitur (inquit) Angelus Domini  
Tantum

2003

Tantum ne: imo, In circuitu timentium eū.  
Quo quid aliud tandem ostendit, quam sic  
vndiq; communitos, sic circum septos ome-  
ni ex parte fore, cunctos Dei metuentes, nul-  
lus vt vsquam irruptioni atque insidijs hos-  
tium pateat aditus. Atque ita videlicet  
non tuti modo sunt, sed & securi propemo-  
dum pij. Sed quid præterea Prophetas: Et  
eripiet eos. En tibi, plena demum perfecta-  
que securitas, victoria, salus, gratulatio, tri-  
umphus. Propter hoc quidem alibi idem,  
Super aspidem (inquit) & basiliscum ambu-  
labis, & conculcabis leonem & draconem.  
Innuens nimirum, neq; astu hostes atque  
insidijs, neq; aperto Marte quicq; proficere  
aduersus sanctos Dei, cum ipsius coelestis  
numinis ope, tū Angelico præsidio tutos.

Sed & e gestis Apostolorum a Luca  
descriptis, colligi propemodum potest, per-  
suasum fuisse primæ illi Ecclesiæ, sicuti quis-  
dem fuit, suum cuique peculiaremque An-  
gelum esse, custodem & affectatorem. Nam  
cum liberatus e carcere Petrus, ostium pul-  
sasset earum ædium, vbi multi de fratribus  
congregati precabantur, puellaque nomine  
Rhode, Petri agnita voce, intro præ gau-  
dio currens, ipsum ante ostium stare renun-  
ciasset, idque etiam atque etiam non creden-  
tibus

tribus confirmasset, illi Angelus eius est, in-  
quiunt. prorsus quasi proprius familiarisq;  
Petri Angelus, vocem illius expressisset,  
quam Petri esse tamen, sibi falso puella per-  
suaderet. Nec sane video, quem tandem aliu-  
m quisquam colligere ex hoc loco sensum  
queat. Nam quod Origenes alicubi eo des-  
torquet, quod ipsi Apostoli Angelis vte-  
rentur adiutoribus, ad explendum prædis-  
cationis suæ munus, & opus Euangelij con-  
sumandum, atque ideo dictum, Angelus  
eius est, haud scio, an aut satis huc apte istis  
huc torqueri possit, aut assensorem ipse eis  
usdem secum sententiæ de posterioribus ha-  
beat quenquam.

Mihi illud quoque huc facere & quadra-  
re videtur, quod e protopatribus Iacob,  
nepotibus benedicens ait, Deus qui me pas-  
cit ab adolescentia mea, vsque in præsentem  
diem, Angelus qui me eruit de cunctis ma-  
lis, benedicat pueris istis. Vt loqui Patriar-  
cha videatur eo de Angelo, quem peculiaris-  
sime ipsi tutorem, & custodem comitemque  
addiderit Deus. Quamuis enim de veteris-  
bus quidam, velut Cyrillus, per Deum hic  
patrem ipsum significari contendat, per An-  
gelum, verbum patris, cuius nomen Magni  
C consilij

consilij Angelus, nec secus intelligi posse ob  
ea quæ sequuntur, Qui me eruit ex omni-  
bus malis, Tamen si quid ego iudico, reli-  
cta hac pia quidem & vera, sed coactiore  
paulo neque loci huius sententia, simplici-  
ter Iacob Deum se per Angelum suum cum  
etis liberasse malis significat. Nam Angeli  
facere dicuntur, quod per ipsos facit Deus,  
cuius sunt ministri, cuiusque præter iussum  
ac voluntatem nihil neque possunt, neque  
sane volunt. Nec aliter Basilius ille Magnus,  
hunc intellexisse locum videtur. quo viro  
nemine neque eloquentius, neque verius enar-  
rasse volumina sacra, testatur inter cæteras  
eius laudes, Gregorius Nazianzenus. Idem  
ipse Basilius. iij. contra Eunomium, singulis  
fidelium, suum peculiaremque adesse Ange-  
lum affirmat, ceu pædagogum quendam &  
pastorem ad vitam dirigendam. Cuius ad  
probationem eundem ipse adducit, quem  
nos supra citauimus, ex Matthæo locum,  
nec non alterum quoque illum ex Psalmo.  
xxxij. Quod eo quidem dico, ne quis me in  
alium hosce locos, quam Ecclesiasticum &  
Catholicum, accepisse sensum putet. Neque  
enim est temere nobis autoritas veterum re-  
pudianda. Sic ergo ille in hunc versum, Ca-  
stra metabitur Angelus Domini, Omni (in-  
quit)

quit) in Christum credenti Angelus adhsit;  
nisi nos illum ob peccata nostra absterrea-  
mus. Vt em̄ fumus abigit apes, vt colūbas  
foetor, sic Angelum vitæ nostrę custodem,  
tenebrosū fæculentūq; peccatum, & cæs-  
tera quę sequuntur. Idem alibi, Deum contra  
omnem Dæmonis apparatus, ministros  
spiritus in salutem indigentium cogere tes-  
tatur, & in sermone. ij. de ieiunio, Angelos  
animę nostrę custodes vocat. Quin & Chry-  
sostomus ille præsul Constātinopolitanus,  
singulari cū facundia, tum sanctitate vir, nō  
in alium prorsus, q̄ Basilus, sensum accipit  
adductū a nobis e Matthæo locū. Et vtroq;  
antiquior, ille maximus post Apostolos Ec-  
clesię doctor (sicuti veteribus visum) Orige-  
nes, idem facit, Qui sic præterea super nume-  
ros, homilia. xx. ni fallor. Adest (inquit) vni  
cuiq; nostrū, etiam minimis qui sunt in Ec-  
clesia Dei, Angelus bonus, Angelus Dñi,  
qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui &  
pro actibus nostris corrigēdis, & miseratio-  
nibus exposcendis, cotidie videat faciem pa-  
tris, qui in cœlis est, Et in Lucam idem,  
aut quisquis fuit alius. Ego non ambigo  
(inquit) & in cœtu nostro adesse Angelos,  
non solum generaliter omni Ecclesiæ, sed  
etiam sigillatim. De quibus Seruator ait,

C ū Angeli

Angeli eorum semper vident faciem patris,  
queque sequuntur. Paulo post. Et quia præ-  
sentes Angeli sunt in Ecclesia, in illa dun-  
taxat quæ meretur, & Christi est, propterea  
orantibus foeminis præcipitur, velamen vt  
habeant super caput, propter Angelos, vt  
que illos qui adsistunt sanctis. Alibi quoque  
idem, Angelos ab Deo nobis esse affir-  
mat datos propugnatores & defensores, ac  
velut tutores et procuratores. Nec dissentit  
e latinis Theologis (vt cæteros omittam)  
Hieronymus, cuius inter alias, hæc quoque  
multorum celebratur ore scriptisque sententia.  
Magna dignitas animarum, vt vna quæ  
que habeat ab ortu natiuitatis, in custodi-  
am sui, Angelum delegatum. Sic enim  
ille in Caput xviii. Matthæi. Idem, seu quis  
alius autor, in Psalmum, xxxiii. Haud du-  
bium est (inquit) timentes Dominum ab  
Angelis custodiri, sicut ipse Dominus per  
Euangelium docet, Amen dico vobis, quia  
Angeli eorum cotidie vident faciem Pa-  
tris mei qui in cœlis est. Vallantur ergo  
præsidio Angelico, qui de cordis puritate  
timuerint Deum. Sed & Hilarius Pictauiens-  
is, vir & doctrina & sanctitate præstans,  
semel atque iterum testatur, Deum in Ange-  
lis auxilium tribuere humanæ infirmitati,  
que

que nisi datis ad custodiam Angelis, & di-  
uino hoc præsidio tuta, obsistere tot tantis  
que malorum spirituum insidijs fraudibus  
que non queat. Et post hunc Ambrosius,  
Deum Angelos suos mittere ad defensio-  
nem eorum, qui hæredes futuri sint promissio-  
rum celestium, affirmat. Apud quem  
sancta quoque illa, & inter diuas relata, virgo  
Agnes, Mecum (inquit) habeo custodẽ cor-  
poris mei, Angelum Domini.

Libet vetusti cuiusdã de Angelis subiicere  
Poete uersus, prius quã hanc partem finiam.  
Est ille in coelis numero præstantior omni  
Angelicus sine fine chorus, qui laude perenni  
Cõclamat celebrãs dñm, famulãtia suetus  
Ferre ministeria, & iussis parere supernis.  
Hi nunc quod rectũ mortalia corda precantẽ  
Cõcipiunt dignis sancto quod pectore uotis,  
Quidquid larga manus collectis spargit  
egenis, (latu.  
Excipiunt, sanctoque ferunt super astra vos  
Quin etiã iustos, fragilis dum uita fatigar,  
Tutantur, mūdique inter discrimina feruãt.

Ostendit uidelicet, Deum Angelorum  
ad pios adiuuandos ministerio uti, quorũ  
prouidentia locus fraudibus iniurijsque De-

C iij monis

monis angustior relinquatur.

Iam igitur cum pro certo plane atque explorato habeamus, datum esse cuiusque suum propriumque a Deo Angelum, per quem vite nostre consulat & provideat Deus, secum quisque cogitet, quotiescunque sit summis et periculis, atque adeo media ex morte ereptus, Angeli secura custodiaque liberatum esse. Decidit e sublimi quis, aut de equo vispiam cecidit. Magnum periculum. Quod ergo ibi non defregit crura aut ceruices sibi, est Angeli tuitione factum. Occurrit per syluam eunti aut aper forte aut ursus (qualia interdum accidunt) quod non ibi discerperis, Angelo debes. Vi quispiam impetuque fluminis abreptus, cum ad corpus forte aqua ablendum (ut fit) in ipsum descendisset, praeter spem tamen saluus atque incolumis enatauit. est cur Angelo gratias agat, imo proximae & secundum Deum Angelo suo. Corruit conciditque forte vi nimia ventorum, domus hospitis, ad quem peregre profectus (ut fit) inclinante ad occasum die diuerteras, aut incendio fortuito conflagrare noctu, te altum dormiente coepit. quod non es ibi aut ruina aedium oppressus, aut incendio suffocatus, Angeli est cura factum. Est qui aduersa in mari tempestate usus, mortem



mortem semper expectarit miser, quod euasit, in portumque delatus est, gratiam Angelo debet. Febrim quis habuit prope lætalem: ab ea cito relictus, nullo dum accersito adductoque medico, Angeli beneficium agnoscat, atque adeo in Angelo, Dei. In eo forte aliquando fuit, ut ab hostibus caperetur tanto in discrimine seruatus, Dei per Angelum tutelæ gratias age. Terra iter faciens, in latrones incidis, aut mari nauigans, in piratas. quod euadis, Angelo debes. Breuiter, quod cotidie mane surgis incolumis, Dei beneficium agnoscito cuius per Angelum sis custodia seruatus, nec Diaboli dolis inuidiaque noctu oppressus.

Sed hæc quidem, quod ad corpus pertineant, haud ita magni sane æstimentur. Quid quæ ad animum? Quoties Diaboli in nobis opprimendis conatus, qui tanquã leo rugiens ob ambulat, quærens quem deuoreret (ut Petrus inquit) Angeli cura repressit: quoties ad pessima quæque flagicia impelleris improbitatē fregit: vim oppugnantis repulit: vires debilitauit: patefecit insidias: fraudem detexit: Absque hoc enim esset, quoties ille hunc quidem ad homicidium molientem cædemque faciendam, illum ad furtum, hunc ad circumueniendum innocentem,

C iij illum

illum ad detrahendum aut de fama, aut de  
commodo proximi, alium ad creditum ab-  
iurandū, alium ad adulterium committendū,  
quosdam ad cæteros præ se impotent-  
ter aspernandos, non nullos ad meliores se-  
se calumniandos, cunctos vero ad multas  
res nepharias, & ad indigna facinora, turpi-  
ssimaq; flagicia induxisset atq; perpulisset.

Nec enim alius veterator ille Stygius,  
quam hominum salutem perditum ire con-  
tendit, eoque nos omnibus semper machi-  
nis oppugnat, nullamq; adeo partem tem-  
poris, neq; diurni neque nocturni vacuam  
ab oppugnandis nobis relinquit. Hic est  
enim, qui primam generis humani paren-  
tem, ut interdictum cibum capiat, illicit. qui  
contumacem aduersus Deum Saulem agi-  
tat. qui & de numerando populo Dauidi  
cogitationem iniicit, & per Pseudoprophe-  
tas Achab decipit. qui Iudam ad prodendū  
Christum induxit, & Ananiam ad illuden-  
dum sanctis impulit. Hic est inquam, cuius  
us contra, assultus ut stare possimus, Dei ar-  
maturam Paulus induere totam iubet. &  
cui vndiq; quem deuoret captanti, resisten-  
dum fortiter Pauli. concors atque collega  
Petrus monet. Quod si Christum ipsum,  
Diabolus non est technis suis aggredi veris-  
simus, quid



quis, quid aduersus hominem nō moliatur?  
Cōtra huius igitur assultus, cui mille nocen-  
di artes, mille in perniciem hominis doli,  
Angelico præsidio nos munit Deus. cuius  
per Angelum cura tuitioque nostri, plus  
potest ad salutem, quam Diaboli astus ad  
perniciem.

Hæc itaque cum ita habeant, quantope-  
re tandem est omnibus cauendum, ne tam  
fidelem custodem, tam amantem nostri pæ-  
dagogum, nostris forte delictis, atq; inue-  
recunda peccandi libidine, a nobis aliena-  
mus? Neq; enim, vt immundi spiritus ma-  
lis artibus, & pudendis turpibusq; facinori-  
bus gaudent, hisq; ipsis alliciuntur, si qua  
Magis fides. sic Angelica illa puritas et fan-  
ctitas, immundiciem ferre prauarum cupi-  
ditatum, & flagiciorum nostrorum potest,  
vt qui ipse semper ad agendam pie, caste,  
sobrie, & ex Dei voluntate atque imitatio-  
ne vitam hortetur, ipse pietatem in nobis &  
studium Dei adaugere conetur. Oculos ho-  
minum parietibus submoues, Dei vero &  
Angelorum quo modo effugies vnquam?  
quo difficiliorem quisque habet rationem  
peccandi, inq; officio magis contineri nece-  
sse est. Ideoque Paulus in priore ad Corin-  
thios, vbi in publico cœtu mulierem opere-

C v      to vela

to velatoque esse capite iubet, quo testetur se viro subditam esse, mox addit, propter Angelos, ostendens videlicet, si propter homines nolit, & si nullo hominum praesentium pudore moueatur, tamen ob Angelos testes, quibus debeatur reuerentia, & qui Christianorum conuentibus intersint, caput velandum esse. Nam quamuis aliter Florēs Tertullianus in libro virginibus velandis, tamen hæc mihi (pace viri dicam) probanda magis sententia videtur. præsertim a nostra parte cum stent, nobiscumque faciāt, doctores omniū fere maximi, ijdemque præstantes sanctitate viri, cum Græci, tum Latini. Tametsi non me sane fugit, quosdam per Angelos (in quibus Ambrosium) Episcopos Ecclesiæq; præsidentes intelligi velle. quod cum coactius esse videatur, minus probandum puto.

Si quid igitur es foedū ac turpe aggressurus, cogita præsentē adesse pædagogū Angelū, testem spectatoremque omnium quæ facis. Huius te pudor ab inhonesto cœpto retardet, incosultum animi tui impetum cohibeat, ad prauas frenandas & comprimendas cupiditates adducat, ad rationem denique mentemque meliorem reuocet. Nolles hominem

minem quenquam interuenire, foedum alis  
quod & illicitum facinus patranti, Anger  
lum ne ergo dignum existimas, cuius in  
conspectu obscœnum aliquid perpetres, atq  
que id demum in te admittas, quod in ocs  
lis hominis haud sine rubore admitteres.  
Vt autem nemo hominum testis pecc  
caturoladsistat, adest certe Deus, adest An  
gelus in tui tutelam designatus, ades tutes  
mer ipse. O te sceleratum atque impium, si  
Deum flocci facis spectatorem. insanum &  
amentem, si Angelum. miserum, si temete  
ipsum. desperatum, si pariter omnes.

Nos vero Deū ipsum patremq; coelestem  
reueriti, nihil aut illo vnquam, aut nobis  
indignum admittamus, nullum flagicium,  
nullam fraudem, nullum in nos scelus ac  
facinus, nullum maleficium, imo quia om  
nes nostros sensus, atque intima pectoris  
perspicit, ne cogitationem quidem vllam  
obscœnam suscipiamus, aut certe iniectam  
a Diabolo nobis peccandi libidinem, quan  
tum quidem potest, ex animo procul enicias  
mus. Breuiter, vt pius ille et vere Christianus  
cecinis vates.

Sic tota decurrat dies,

Ne lingua

Ne lingua mendax, ne manus,  
Oculi ue peccent lubrici,  
Ne noxa corpus inquinet.  
Speculator adstat desuper  
Qui nos diebus omnibus  
Actusque nostros prospicit  
A luce prima in vesperum.  
Hic testis, hic est arbiter,  
Hic intuetur quicquid est  
Humana quod mens concipit,  
Hunc nemo fallit iudicem.

Quod si (qua sumus imbecillitate homines) aut cupiditate forte victi, aut libidine impulsi, aut decepti errore, culpam noxiæ amque in nos vllam, delictum ue aliquod & dedecus admiserimus, veniam perpetrati sceleris dari, atque ignosci nobis petamus, & quod possumus, voluntatem erga nos Dei, flagitijs nostris alienatam, recuperare pro virili studeamus. Quoniam isthuc modo: precibus, lachrymis, pœnitentia, suscepto pie postea viuendi proposito, & animo commutandæ in melius vitæ, denique vitanda crapula, temulentiæ, libidine, auariciæ, superbia, cæterisque vicijs, quibus ante alienatus a nobis fuerat Deus. Neque id graue adeo aut difficile est nobis futurum, si Genium

num (vt sic dicam) prestitem, nobis ab Deo  
datum, autorem ac ducem optimorum con-  
siliorum sequamur. idque si fecerimus, cum  
innocentiam facile tueri, hoc morum magis-  
tro, tum vitam sancte transigere licebit.

Quod vt fiat, comprecandus est Deus Opt.  
Max. quo vita hac pie transacta, exutaque  
tandem mortalitate, ad veram illam atque  
immortalem, vbi sempiterna pñ fruuntur  
foelicitate, peruenire vitam queamus. Hęc  
mihi fere in mentem veniebant, quę scri-  
benda esse ducerem, de præside vitæ no-  
stræ Angelo, quem custodem pñs & quasi  
pædagogum (vt sæpe iam dixi) pater ille  
cœlestis addidit, quoque cum primis homo  
vel ad ductum cæcitaris suę, vel custodiam  
infirmitatis indigebat. Hic enim cum cer-  
tam ad normam religionis pietatisq; Chris-  
tianæ, actiones nostras dirigere, nosque ab  
omni errore abductos, ad bene viuendi tra-  
ducere rationem studet, tum aduersus occul-  
tas Diaboli, pestem perniciemque molien-  
tis insidias ac fraudes tuetur, & ab incur-  
sione, a vi impetuque eius vindicat, aut potis-  
us hæc per Angelum ipsum Deus. O mi-  
seros & infœlices, qui tale benignissimi Pa-  
tris donum non recognoscunt. beatos ve-  
ro, quorum Dei beneficio tanto grata &  
constans;

constans, debita pietate voluntas respons  
det.

Poterā, quę cæca illa & ignara veri numi  
nis veræq; religionis antiquitas de Genijs  
sentit, quos singulis binos attribuebat, quo  
rum alter periculū perniciemq; moliretur,  
iuuare alter studeret, si quid ad rem facere  
iudicasset, addere. Sed rectius facturus vi  
debar, si omissis superstiosę antiquitatis nu  
gis atq; cōmentis, q̄ simplicissime possem,  
quę mea esset, de suo vnius cuiusq; priuocq;  
Angelo sententia, in medium afferrem.  
Tamen non dissimulandum esse duco, e  
vetustis quoque Theologis extitisse, qui bi  
nos singulis quibusque, iam inde a natali  
die, adesse Angelos affirmarent, bonum al  
terum, alterum malum. illum tuendę vitę  
propugnandęque salutis, hunc diuexandę  
causa additum. illum a nobis propulsantē,  
hunc exitium molientem, ad malum impel  
lentem hunc, illum inde reuocantem. Qua  
de re aliquoties (vt cæteros omitam) Ori  
genes ipse, & in Lucam, & in tertio π̄ργι  
αρχων, ad hoc ipsum comprobandū nesc  
cio quem de Pastoribus librum, aut quem  
Barnabam citans. Sec hęc forsan ille, Philo  
sophos veteres secutus, qui similia quedam  
de Genijs, quos Dæmonas vocitabant, me  
morix



morie ac literis prodidere. Vnde de Genio  
malo Bruti, in eiusdem vita Plutarchus, de  
bono Socratis, Plato. Quo de genere pos-  
teriore in hunc modum Amianus. Ferunt  
(inquit) Theologi, in lucem editis homini-  
bus cunctis, salua firmitate fatali, huiusmo-  
di quaedam velut actus rectura numina so-  
ciari, admodum tamen paucissimis visa,  
quos multiplices auxere virtutes. Et reli-  
qua ibidem. Mox adit, non deos coelestes  
(quod Homerus finxerit) cum viris forti-  
bus collocutos, neque pugnantibus adfui-  
sse, sed familiares Genios esse cum hisdem  
versatos.

Sed hæc atque hoc genus alia, nos in me-  
dio relinquenda putamus. Illud libenter  
addo. Si tantus fuit Genijs apud antiquos  
honor, vt & in suis penetralibus eos con-  
secrarent, & cotidie merum ijs funderent,  
& quasi depulsores malorum veneraren-  
tur, cum re ipsa dæmones essent, ac malorū  
omnium autores, quanto tandem est nos-  
ter Angelus honore afficiendus, quo ab  
nobis cultu obseruandus, qui sit vere pro-  
fecto ἀλεξικακος, vere pestium calamitas  
tatumque omnium defensor?

Nec vero

Nec vero gratior Angelis cultus esse vllus potest, quam si sanctam atque puram, & nullo maculatam & inquinatam scelere, nullis vicijs contaminatam atque pollutam, vitam agamus.

Huc enim illi impellunt, huc prouocant, huc incitant. Nam vt adorentur etiã, quod is vni Deo, qui & eos condidit, & suam cum ijs communicauit foelicitatem, debeatur honos, cum vâhementer ipsi longeque recusant (etenim in Apocalypsi Angelus adorare se volentem prohibet) tum vero nephas esse putandum est. Neque enim vlli prorsus naturę, præterquam diuinę, adorationis honos ille, quam latrian vocant, sacris in literis defertur. Scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles. Malorũ spirituum est, adorari supplicarique sibi velle. vt ille in Euãgelio tentator, adorari a Christo postulat. Nam hi quondam cunctum fere terrarum orbem, cum a veri cultu numinis auerterunt, tum ementita diuinitate, varijs ad se colendum artibus præstigijsque illexerunt. Ne multa, eo credulos perpulere mortales, vt templa numinibus dicarent, aras consecrarent, sacra facerent, adolerent thura, cruentas victimas, & eximios præstanti corpore

pore tauros (vt ille canit) mactarent, denique  
que votis precibusque pacem ab his veniamque  
que poscerent. Nam hosce miseri isti & coeci,  
custodes esse urbium, & conseruatores  
atque amplificatores rerum, & propagatores  
res finium imperij rebantur. cum reapse  
malorum essent omnium machinatores.  
Ab his & inuenta & tradita sunt, ad arctius  
us astringendos deuinciendosque sibi mor-  
tales, artes ille que cum pietate Christiana  
pugnāt, vt diuinatrices omnes, Chiroman-  
tia, Pyromantia, necromantia, hydroman-  
tia, aruspicina, quarum de uanitate artium,  
quoniam aliud nunc agimus, nihil dicam.  
Hi etiam & imagines, & simulachra fingere  
docuerunt, quo facilius hominum mentes  
rudium & simplicium, ab æterni Dei cultu  
auersas, ad Idololatriam, atque ad se ado-  
randos inducerent. Ab his & oracula sunt  
ad retinendos in cultu ac ueneratione sui  
mortales inuenta, quibus hoc maior quon-  
dam erat fides, quod responsis vaticinibusque  
Dæmonum respondebat nonnunquam euen-  
tus. Et quia interim aut foelicitatem aliquā,  
secundum Dei decretum euenturam, natu-  
rali quadam insitaque sagacitate presentie-  
bant, aut periculum ciuitatibus imminens,  
quatenus quidem permisit Deus, coniectu-  
ris forte

D ris forte

ris forte conſequebantur, mox oraculis,  
ſomnijs, extis, oſtentis, alijs ue modis prædi-  
care iſta vaticinariſque ſolebant. ac vbi illud  
accidiſſet, quod neceſſe erat, quodque ipſi  
decretum ab Deo præſenſerant, huiusmodi  
ſeſe omnium ſeu bonorum forte ſeu malo-  
rum, videri autores volebant. Itaque vt  
pericula ipſi denunciata propulſarent, ma-  
laque amolirentur, ſacrificijs ſeſe placare, pe-  
cudum ſanguine effuſo, cæſiſque ex more  
iuuencis exorare, honoribus denique affi-  
cere vni cœleſti numini debitis, iubebant.  
Quod ſi quo modo periculum quod immi-  
nebat, deuitari poterat, hanc miſeris opinio-  
nem faciebant, quaſi id ipſi propicij pacatis-  
que depulſiſſent. ſin minus, quaſi irati nolui-  
ſſent. Nam quid erat negocij, cauſari quid  
deinde nugatorium ac leue, cur haud ſatis  
exorati videri poſſent? Atque hac vaſtricia  
nimirum, his præſtigijs, cum ſummum alijs  
timorem faciebant, tum autoritatem ſibi fi-  
demque oraculis adquirebant.

Heu cæcam antiquitatem, & miſere a  
Dæmonibus illuſam, que poſthabita vera  
illa religione, & aut ignorato, aut neglecto  
vnius Dei cultu, immundos iſtos perditos  
que

que spiritus adorarit, ad horum in aduersis  
opem confugerit, horum simulachra in de-  
lubris colenda venerandaque posuerit.  
Nos contra foelices, & cum primis beatos.  
quibus per Christum contigit, omnium  
discussa dimota errorum nebula, verum ip-  
sum Deum cognoscere, adorare, colere. &  
colere quidē non opimis hostijs mactādis,  
non aris pecudum sanguine cruentandis,  
sed fide, innocentia, puritate mentis, gratijs  
agendis, precationibus, psalmis, hymnis,  
καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς, vt Paulus in-  
quit. Hæc demum enim vera sunt, gratissi-  
maque Deo sacrificia. Neque enim aut im-  
molationibus ille, cum mactatur ad aras  
victima, aut holocaustis, cum flammis hos-  
tia tota adoletur, sed (vt sacer ille vates, ac  
Propheta Domini testatur) spiritu contris-  
to, & corde humiliato delectatur. Hoc  
vnum, inquam, Deus sacrificium grate ab  
omnibus & libenter accipit. Id quod alibi  
idem per Prophetam ostendit. Non acci-  
piam de domo tua vitulos, neque de gregi-  
bus tuis hircos. Et, Num ego comedam  
carnes taurorum? aut sanguinem hircos-  
rum bibam? Mox quid offerri velit, ape-  
riens. Immola Deo sacrificium laudis (in-  
quit) & redde Altissimo vota tua.

D ij Et, inuo-

Et inuoca me in die angustiae tuae, liberabo te, & glorificabis me. Ecce tibi verum, & Deo gratum acceptumque sacrificium, longe aut Iudaicis illis sacris, aut Ethnicorum ritibus anteferendum. Quid autem potuit humano generi aut maius dari, aut praestabilis us, quam talis cognitio, talis cultus veri Dei, principis, autoris, Dominique vniuersorum. Qui omnia suo numine gerit atque administrat, summa & aequitate & sapientia. qui quaecumque condidit, tutatur & vindicat ab interitu, quo suo opte nutu feruntur. cuius omnipotentiam, cuncta e nihilo creata. sapientiam & benignitatem, eadem gubernata & sustentata. clementiam, inimici quos pascit, declarant. Sed ad institutum redeamus.

Malorum spirituum est (vt ostendi) adorari velle, & cum opem ab sese peti in periculis, tum si quid forte boni obuenerit, sibi gratias agi. At vero ille beatę & Angelicę mentes, vnum a nobis coli volunt rerum omnium praepotentem Deum, ab vno auxilium in aduersis peti, vni gratias de prosperis agi. Vnde & Tobiam Angelus, quo Deus administro multis senem cumularat bonis, non se quidem, qui vt minister, iustum esset imperiumque Dei exequutus

quutus, Sed Deū ipsum prædicare & effere  
re laudibus iubet. Itaque cum filio Tobias  
humi prostratus, laudat celebratque, non  
ministrum Dei Angelum, sed ipsum illum  
autorem bonorum omnium Deum. Qui  
quidem vnus ipse, cum omnia tribuere cor  
poris animique bona, tum cunctis liberare  
malis, cuncta a nobis propulsare pericula,  
& vult, quia pater est, ne quid diffidas eius  
erga nos pietati. & quia omnipotens, po  
test. quia semper benefecit, solet. quia pro  
misit, debet. Quis dubitet igitur petere ac  
poscere ab Deo patre, quorumcunque indi  
get vsus? quis non ab eo sperare salutem  
ausit, & afflictis melius confidere rebus? vt  
ille canit. Præsertim cum blande adeo sua  
uiterque nos, vt ipsius vel in rebus dubijs  
præfens auxilium, vel in optatis assequen  
dis benignitatem imploremus, & per Pro  
phetas, & per filium suum cohortetur & in  
uitet, timidis & indignitatem suam reputan  
tibus animum addat, alliciat pudibundos,  
confirmet dubitantes, cunctantes impellat.  
Petite ( inquit ) & dabitur vobis. quærite,  
& inuenietis. pulsate, & aperietur vobis.  
Quisquis enim petit, accipit. & qui quærit,  
inuenit. & pulsanti aperietur. Rursus alibi,  
Quæcunque orantes petitis, credite, quod  
accipietis.

accipietis, & euenient vobis. Et iterū, Quid  
quid petieritis in nomine meo, hoc faciam,  
vt glorificetur pater per filium. Et, si manse-  
ritis in me, & verba mea in vobis manse-  
rint, quicquid volueritis, petetis, & fiet vo-  
bis. Rursus, quasi iureiurando fidem su-  
am nobis obstringens. Amen amen dico  
vobis (inquit) quaecunque petieritis Pa-  
trem sub nomine meo, dabit vobis. Ha-  
ctenus non petistis quicquam sub nomine  
meo. petite, & accipietis. Sic in Psalmis  
Deus, Inuoca me in die angustie tue, eripie-  
am te, & honorificabis me. Et David, Pro-  
pe est Dominus (inquit) omnibus in uo-  
cantibus se, inuocantibus se in veritate.  
Voluntatem timentium se faciet, & depre-  
cationem eorum exaudiet, & saluos faciet  
eos. Et alibi, Quoniam tu Domine suavis  
& mitis, & multum misericors omnibus  
inuocantibus te. Idem. In Deo (inquit) salus  
mea, Sperate in eo omni tempore, populi.  
effundite coram eo corda vestra, quoniam  
Deus adiutor noster est. Rursus. Oculi  
Domini super iustos, & aures eius ad pre-  
ces eorum. Clamauerunt iusti, & Dominus  
exaudiuit eos, & ex omnibus afflictionibus  
suis liberauit eos. Et. Ecce oculi Domini  
super



super timentes eum, super eos qui sperant  
in misericordia eius, Ut eruat ex morte ani-  
mas eorum, & alat eos in fame. Sunt alia  
id genus loca in sacris monumentis pene  
sexcenta. quibus a Deo, quecunque aut cor-  
poris, aut animi postulat necessitas, petere,  
deque bonis acceptis gratias illi vni agere,  
illum vnum celebrare & prædicare, & age-  
noscere beneficiorum autorem iubemur.  
Vnde apparet videlicet immensa illa Dei  
erga nos charitas, & propensissima semper  
ad opitulandum nobis voluntas, & mirifi-  
cum denique, siue adeo singulare nostræ  
salutis studium. Quod ipsum quoque in-  
dicio est, nostras illi semper acceptas &  
nunquam ingratas accidere preces. Huc  
illud pertinet Iohelis. ij. Quicumque inuo-  
cauerit nomen Domini saluus erit. Sed &  
Paulus sæpe, ad incessanter precandum, in  
omnibusque gratias agendum hortatur, Et  
Iacobus, Si quis affligatur, orare. si æquo  
animo sit, psallere iubet.

Et quamuis per Angelos Deus nos aut  
malis liberet, sicuti Loth quondam in subs-  
uersione Sodomorum, & Helisæum ab  
hostibus cinctū, aut bonis cumulet, vt To-  
biam

D iij      biam

biam ipsum (quo de paulo ante) sunt tamen agenda, non Angelis, sed vni Deo grates, vnus prædicandus & laudandus Deus, qui talibus in rebus est Angelis ministris vsus. Sic nimirum tres illi in camino ignis pueri, posteaquam flamma ab Angelo versa in refrigerium esset, non Angelum ipsum prædicant, nec Angelo grates agunt. Cuinam igitur? Ipse hymnus indicat. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum. quod per Angelum est factum, totum videlicet Deo transcribunt, cuius illum ministrum esse norunt. Sed & Angeli ipsi non sibi, sed omnium creatori Deo honorem haberi, & dari gloriam volunt. Et sicut peculiare fere est opus ipsorum, Deum semper laudare, Deum hymnis canticisque celebrare, sic nos quoque (vt sunt salutis humane studiosi) facere assidue volunt. Facit huc huc illud Basilij Magni, ex libro contra Euzonomium. v. Neque Angelos (inquit) vna cum Deo glorificamus, sicuti nec homines, cum non propria ipsorum ea, que per illos fiunt, existimemus, sed Dei, qui per eos operatur. Sic Basilius, ostendens videlicet soli Deo gloriam in omnibus, quecunque per Angelos bona contingunt, esse dandam, cuius illi semper Imperio læti parent, ac iussa facessunt, Vt Poeta canit.

Acceptissimus igitur Angelis est (vt dixi) cultus, si pure, integre, incorrupteque viuamus, quo assidue ipsi vocant. si neque superbia fastuq; tumidi inflemur, neq; odiū in quenquam concipiamus, neq; ira effermur, neq; aut auaricia rapaces, aut vinolentia temulenti, aut libidine incæsti simus, quibus a vicijs iñdem semper absterrēt. Quum contra Genij isti, quos supersticiosa quondam colebat antiquitas, nimirum immundi spiritus, ad vicia omnia pellicerent, ad queuis flagicia suscipienda, & ad explendos improbos animorum affectus hortarentur, suapte voluntate ad cupiditatū studia proiectos, animarent vltro, & sponte currentibus calcar (vt dicitur) subderent. breuiter omnia vbiq; insidijs, fraudibus, erroribus complerent. Id quod hodieq; facit ille perpetuus humani generis hostis, qui cum suam homini inuideat foelicitatem, sempiternis ipse addictus supplicijs, aliquod condemnationis sue, nobis perdendis, solatium quaerit. Sed huiusce nepharios in homine opprimendo conatus (vt est saepe a nobis dictū) reprimit per Angelum Deus. Cui quidem ipsi, pro tali tantoq; erga nos beneficio, & tam paterna de nobis cura, maximas semper omnes & habere & agere gratias debemus.

Finis.

D v

DE ANGELIS  
PHILIP. MEL.

**A**D Ebræos primo scribitur, Sunt ministri spiritus, ad ministerium missi, propter eos qui sunt hæredes futuri. Hic locus duo docet, Primum quæ sit substantia Angelorum, Deinde quod sit officium. Substantia est spiritalis, quia vocat eos spiritus. Discernit autem scriptura spiritus a corporib. cum inquit, Spiritus carnem & ossa non habet.

Sunt autem duplices spiritus, Boni, & mali, Mali non sunt conditi in malitia, Sed a Deo creati sunt sine vitio. Postea vero defecerunt, sicut inquit Christus, Mendacium ex proprijs loquitur, Ergo non accepit a Deo. Item Epistolæ Petri & Iudæ testantur Angelos defecisse, & propter peccarū damnatos esse. Et Epistola Iudæ diserte inquit, Angelos non conseruasse suam originem, id est, non mansisse tales, quales conditi sunt.

DE OFFICIO ANGE-  
LORVM.

**E**pistola ad Ebræos vocat eos ministros spiritus, & addit propter eos, qui sunt futuri

futuri hæredes. Hæc sententia testatur An-  
gelos occupatos esse cura Ecclesię defen-  
dendæ. Sic autem cogitemus, sicut re vera  
ad hunc modum se habet Ecclesia, Ecclesiam  
velut ciuitatem, ab vna parte Diaboli obsi-  
dent & oppugnant acerrime, Ab altera de-  
fendunt, & propugnant Angeli. Nam Pau-  
lus vocat Diabolos Spiritus aeris. Versantur  
igitur vtrique boni & mali spiritus cum  
hominibus.

Vt autem officia bonorum Angelor-  
um agnosci possint, Primũ consideremus  
quam sauum hostem habeamus. Describi-  
tur autem Diabolus, quod sit Mendax &  
Homicida. Mendax est, id est, immani quo-  
dam odio Dei conatur summis viribus de-  
formare gloriã dei. Ideo incitat homines ad  
impias opiniones de Deo, & ad blasphemias,  
& efficit, vt hæc propagentur, sicut Pau-  
lus inquit, Tenet captiuas mentes hominũ.  
Inde nomen habet Diaboli, Quia calum-  
niatur verbum Dei, & serit impias opinio-  
nes, Sicut statim initio apud Euam calum-  
niatus est verbum Dei & extenuauit eius  
autoritatem, & exemit Euæ reuerentiam er-  
ga verbum Dei. Excitat igitur in Ecclesia,  
& auget falsa dogmata, & hæreses.

Deinde Homicida est, id est, molitur exi-  
tium homi-

tiūm hominibus, Quia em̄ summa est acer-  
bitas odij ipsius aduersus Deum, Ideo cona-  
tur nocere hominibus, ac præfertim Eccle-  
siæ, vt expleat odium suum aduersus Deū.  
Molitur exitiū priuatæ vitæ, affligit valetu-  
dinē, inficit aerem, excitat malas tempesta-  
tes, adfert morbos, pestilentias, corrūpit res  
nascentes, impellit ad flagitia, pertrahit in  
praua sodalitia. Deinde etiā in vita politica  
nocet, excitat crudelitē aduersus Ecclesiā,  
excitat Tyrannos, vt dilacerent Respub. vt  
sæuiant in innocētes. vt moueant non neces-  
saria bella, Inflammat inquieta ingenia, ad  
mouendas seditiones & turbandas respubli-  
cas.

E contra bonorū Angelorū officia sunt.  
Primum ueraces sunt, hoc est, amāt gloriā  
Dei & veram doctrinam, Ideo promouent  
pia studia, & reprimunt Diabolum, & im-  
pios serentes mala dogmata, sicut interfe-  
cerunt Cerinthum. Item sunt ministri ad  
reuelationes, sicut Gabriel mittitur ad virgi-  
nem Mariam. Item orant pro Ecclesia. Iux-  
ta illud, Angeli eorum vident faciem Patris  
&c.

Deinde sunt custodes Ecclesię. Pri-  
mum impediunt Tyrannos, & consilia  
per

persecutionis contra Ecclesiam, Sicut testantur multæ historiæ. Heliseus inquit, plures sunt nobiscum. Idem testatur historia Ezechiaë. Item Angelus educit Petrum ex carcere. Item defendunt pacem publicam, Impediunt consilia eorum, qui mouere bella conantur, Sicut apud Daniele Angelus inquit, se propugnasse Regem Persarum. Item apud Daniele vocantur vigiles in arbore, quæ significat Regnum. Excubant igitur pro regno.

Præuatim defendunt vitam, sicut & Christus testatur, pueris esse additos Angelos custodes, cum inquit. Angeli eorum vident faciem Patris. Et huius officij multa sunt exempla, Vt in historia Iacob, Tobie, Epiphani. Item in puero Cygneo.

Vicissim autem discamus quid a nobis requirant Angeli, videlicet gratitudinem. Hæc est autem vera gratitudo, vt ipsorum virtutes imitemur, hoc est, vt simus veraces, id est, vt agnoscamus, nos Deo curæ esse, Agnoscamus nobis tales custodes esse additos, & agamus Deo gratias pro hoc ingenti beneficio. Deinde Angelorum exemplo simus nos quoque Φιλοστοργοι,  
tempe

temperantes, casti &c. Et vt retineamus An-  
gelos nobiscum, inuitemus eos nostra pie-  
tate & bonis moribus.

Impressum Viteberge per Ioannem  
VVeiss. M. D. XXXVII.







Fd 7066

X 221 0357




Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



N. RI  
DO RIENSIS,  
cuiusq; genio, seu  
io Angelico  
ellus:  
BERGAE.  
XXVII:  
2830

